



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Sectio 4. Quæ integritas sufficiat ad valorem confeßionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

vera non adhibuerit: quia in omnibus his & similibus casibus confitetur omnia, quæ inuincibiliter existimat esse confitenda, & ita formaliter implet præceptum de integritate confessionis. Nam in his omnibus casibus eadem est ratio, vel impossibilitatis moralis, vel sufficientis excusationis; utraque autem sufficit ad integritatem formalem.

De altera vero ignorantia, vel obliuione culpabili difficultas superest, an cum illa possit esse formalis integritas. Est enim in hoc ignorantie generemagnalatio, & diuersitas graduum. In quibus aliqua sunt certa, & aliqua dubia. Primus gradus est, quando negligentia commissa in examinanda conscientia, seu obligatione aliquid confitendi fuit minima, ita ut ad summum sufficiat ad veniale peccatum: & tunc certum est, ea non obstante posse esse confessionem formaliter integram, & validam. In quo conueniunt omnes Doctores statim citandi. Ratio autem est, quia non obstante illa negligentia, substantialiter impletur præceptum de integritate confessionis, in quo præcipue consistit hæc integritas formalis: ergo, licet aliquo modo, & secundum quid violetur illud præceptum, hoc non obstat quominus sacramentum substantialiter validum sit. Quin potius illa culpa non est sufficiens ad impediendum effectum sacramenti, cum non repugnet gratiæ, nec remissioni peccatorum mortalium: ergo multo minus impedit valorem sacramenti. Denique talis omisio est imperfectissimo modo voluntaria, & vix potest humano modo vitari, & ideo ea non obstante, verum est dicere hominem adhibere humanam & moralem diligentiam, & confiteri omnia peccata, quæ post diligentem excusionem memoriæ occurrunt, ergo confert materiam, quam Concilia requirunt: ergo quantum est ex hoc capite, facit confessionem validam, & formatam.

Secundus gradus extreme contrarius est, quando nulla prorsus diligentia adhibetur, quia homo directe vult nullam adhibere. Atque eiusdem rationis esse censetur, quando aliqualem quidem diligentiam adhibet, adeo tamen leuem, & cum tanta negligentia, ut moraliter, quasi nihil reputetur, quia tunc ita homo se gerit, ac qui rem omnino negligit, vel parui æstimat, etiam si directam voluntatem habeat nihil omittendi scienter, sed confitendi omnia, quæ in ipso actu confessionis occurrerint. Et in hoc casu aliqui existimantur confessionem esse validam. Tribuiturque hæc sententia Paludano in 4. d. 17. quæst. 5. art. 3. casu 3. eo quod declarans nullitatem confessionis ex defectu integritatis, solum dicit esse quando aliquod peccatum scienter per hypocrisim seletur. Certum tamen est, & receptum apud Theologos infra citandos, in eo casu confessionem esse nullam, quia tanta negligentia, & ignorantia tam crassa, tamque voluntaria moraliter scientiæ æquiparatur. Quod non solum est verum, quando ignorantia est affectata, seu directe voluntaria, sed etiam quando est tam crassa & supina, ut sit manifesta, & grauissima pro negotii qualitate, qualis in præsentia est illa, quam descripsimus. Et hoc à fortiori patebit ex dicendis in sectione sequenti. Adhuc enim superest difficultas, an circa hoc detur aliquod medium alicuius ignorantie, vel obliuionis culpabilis mortaliter propter grauem negligentiam, quæ nihilominus sufficiat ad integritatem formalem confessionis, ita ut non sit contra substantiam sacramenti. De qua dicemus commodius sect. sequente.

### SECTIO III.

*Quæ integritas sufficiat ad valorem confessionis, & consequenter, an possit aliqua integritas sufficere ad valorem, quæ non sit sufficiens ad effectum.*

**H**æc Quæstio sub aliis verbis proponi solet, an possit dari confessio, quæ ob defectum integritatis sit informis, quamuis sit valida: cuius diuisio ex eo pendet, ut sciamus quid necessarium sit ad integritatem formalem. Nam quod hæc necessaria sit ad valorem confessionis, pro certo statuendum est; quia supra ostendimus, integritatem aliquam esse de essentia huius sacramenti: sed hoc dici non potest de integritate materiali: ergo saltem formalis est de essentia, quia præter has nullam aliam agnoscunt Theologi. nec potest vera inter eas reperiri medium, quia Concilium Tridentinum satis descripsit integritatem debitam huic sacramento. Vnde, quando illa obseruatur, est sufficiens integritas, & cõsequenter erit formalis, quamuis materialis non sit, si vero illa non adhibeatur, iam deest integritas necessaria ad valorem sacramenti iuxta doctrinam Concilii. Est ergo integritas formalis de substantia sacramenti. Quid vero ad hanc integritatem necessarium sit, quamuis à Concilio videatur satis expositum, adhuc in controuersia versatur.

Prima ergo sententia dicit, ad hanc integritatem formalem sufficere quod sit per se intentia, quantum est ex directa voluntate penitentis, & quod aliqualis diligentia ad eam adhibeatur, quamuis non sit tota illa, quæ præcepta est etiam si ob defectum eius mortaliter peccetur, dummodo defectus nec sit directè voluntarius, nec ex summa quadam negligentia, quæ appellari solet crassa, & supina: sed solum communi & ordinario modo culpabilis sit, etiam culpa mortali. Vnde infert, hæc sententia, posse aliquam confessionem esse validam in ratione sacramenti, & nõ ad effectum, sed informis maneat propter defectum integritatis, nam, si talis est defectus, ut ratione illius committatur peccatum mortale, non potest simul cum illo esse iustificatio. Ita sentit Soto d. 18. q. 3. art. 3. concl. 3. & Cano Relect. de Poenit. p. 5. & Victorian. 1. 46. Citatur etiam Cajet. sed immerito. Fundamentum Soti solum est, quia illa confessio ex intentione dicentis est integra; haberem voluntatem dicendi omnia, quæ commisit, & alioquin adhibet nonnullam diligentiam: ergo id satis est, ut illa confessio sit formaliter integra. Alii vero maxime mouentur ex eo, quod alias sæpe obligamur fideles ad confessiones iterandas, atq; ita hoc onus confessionis redderetur grauissimum, quod vitandum est, quantum fieri possit.

Dicendum nihilominus censo, eam tantum esse integritatem formalem, in qua homo nihil omittit peccando mortaliter, siue ex scientia, siue ex ignorantia & negligentia culpabili. Ex quo fit, ut omnis confessio ex parte integritatis sufficiens ad valorem sacramenti sufficiat etiam ex hoc capite ad effectum eius, si aliunde sufficiens dolor non desit, ac proinde nulla detur confessio inualida, & informis ob defectum integritatis. Quod in primis tenent illi Doctores, qui generatim negant dari sacramentum penitentiae validum, & informe, quos supra retuli, & agens de prima parte materiali huius sacramenti. Deinde in particulari tenet Caietanus in Summa verb. *Confessio. condit. 10.* licet in Opusculis obscurius loquatur, tenet etiam Petrus Soto lect. 10. de Poenitentia, Nauarrus capite 9. Summ. num. 16. & Medina Cod. de Confessione, q. de Confessione diminuta iteranda. Sumiturque hæc sententia ex Concilio Trident. dist. ca. 5. sess. 14. vbi ter repetit, necessarium esse diligenter examinationem conscientiae adhibere, & tunc peccata oblita virtute contineri in his, quæ dicuntur, quando diligens examen præcessit: declarat autem in eo capite substantialem integritatem confessionis, neque in hoc distinguit vnquam inter necessitatem sacramenti, & præcepti. Vnde conficitur ratio, quia licet integritas materialis non sit de substantia, tamen

3  
Diversi  
gradus  
ignorantia  
vincibilis  
Primus.

4  
Secundus  
gradus.

Palud.

Integritas  
formalis  
necessaria  
est ad val.  
rem con.  
fessionis.

Quid ad  
integritat.  
formalem  
necessarium  
sit.

2  
Prima sententia.

Soto.  
Cano.  
Victorin.

3  
Prima sententia.

Caiet.

Pet. Sot.  
Nauarr.  
Medin.  
Cano. Trid.

Obi.  
con.  
sacra.  
satis.

tamen obligatio integrè confitendi pertinet ad substantiam; & ideo, vt supra dixi, intrinsecè oritur ex ipsa institutione sacramenti: ergo nulla est confessio integra formaliter, nisi per illam fatisciat saltem huic obligationi: sed qui omittit aliquid ex ignorantia culpabili peccando mortaliter, non implet hanc obligationem: ergo talis confessio censori non potest formaliter integra: ergo nec sufficiens ad sacramentum conficiendum.

Ex quo constat, quàm sit inefficax ratio Soti: nam ad formalem integritatem nõ satis est qualibet voluntas directà confitendi; hanc enim etiam habet ille, qui confitetur cum crassa & supina ignorantia: requiritur ergo voluntas efficax faciendi quod in se est, seu quod moraliter potest, & debet, vt integrè confiteatur: hanc tamen non habet ille, qui mortaliter peccat in ipsa confessione. Prætereà, sicut omisio ex ignorantia crassa moraliter est eiusdem rationis cum omisione directè voluntaria, ita etiã omisio ex quacunque ignoratìa, quæ ad peccatum mortale sufficiat: sed illa prior omisio dicitur esse contra substantiam sacramenti propter moralem æquivalentiam; ergo idem est de posteriori dicendum: nam, si quæ est differentia, solum est accidentalis secundum magis & minus intra latitudinem voluntarij indirecti, quæ non potest tantam diuersitatem efficere in substantiali materia sacramenti. Eo vel maxime, quod illa differentia inter ignorantiam iam culpabilem mortaliter communem, & ignorantiam crassam, vel supinam gratis excogitata est ab his auctoribus: nam in iure omnis ignorantia, quæ ad peccandum mortaliter sufficit, si non est affectata, vocatur crassa, vel supina, vt in materia de

4  
Sicut re-  
probatur.

Distin-  
ctio  
mortuo  
satis

Obiect.

Quædam  
solutio  
Vnde  
su.

6  
Obiectio  
conuaria  
solutio  
iustit.

A moriam reuocatur. Hinc ergo sæpè contingit, vt quauis confessio fuerit nulla ex ignorantia culpabili, & ideo, per se loquendo, reperenda: nihilominus de facto sæpè excusentur homines ab hac obligatione, quia in posteriori confessione inuincibiliter obliuiscuntur prioris defectus, & ideo validam confessionem faciunt sine illa repetitione, & priora illa peccata per accidens tolluntur. Ac similiter, in quolibet futuro tempore fit difficilior recordatio talis defectus, & ideo excusatio semper durat, vel potius augetur. Quod si contingeret postea per aliquam occasionem recordari illius defectus, esset quidem iteranda illa confessio, non tamen omnes posteriores, quæ bona fide factæ sunt.

Sed quid si in ipsamet confessione sic negligentia inchoata homo aduertat, & culpam suam, ac negligentiam recognoscat. Communiter dici solet, debere hoc ipsum statim confiteri, & ita suppleri illum defectum. Sed hoc intelligendum est, dummodo ipsa etiam negligentia per interrogationes confessoris, vel alio modo sufficienter suppleatur: ideoque spectare oportet, an urgeat aliqua necessitas mortis, vel scandali vitandi, aut quid simile ad perficiendum sacramentum: & tunc si iuxta opportunitatem præsentem fiat, quod potest tam ex parte penitentis, quàm confessoris, ignorantia, quæ erat culpabilis, incipiet esse inuincibilis: ideoque ritè, & rectè perficietur sacramentum. Si tamen nulla urgeat necessitas, regulariter differenda est absolutio, vt penitens possit sufficiens examen conscientie facere, nisi confessor moraliter iudicet se posse in præsentem diligentiam illi supplere.

7  
Dubium  
Dissolui-  
tur

DISPVATIO XXIII.

De ministro confessionis in communi.



Secunda conditio confessionis, quàm supra explicare promissimus, est, vt sit legitima accusatio: quæ respectiua est, & in hoc consistit, quod fiat coram legitimo iudice, qui iudex est minister huius sacramenti: & ideo disputatio de ministro in hunc locum cadit, quo cognito, manebit explicata illa conditio. Dicemus autem de ministro prius in communi, postea in particulari, & deinde de modo, quo exercere debet munus suum, & consequenter de obligationibus, seu præceptis, quæ ad illum pertinent.

SECTIO I.

Vtrum minister huius sacramenti sit solus Sacerdos.

Multi hæretici dixerunt, etiam laicum posse esse ministrum huius confessionis, præsertim si iustus sit & bonus. Qui error solet tribui Vualdensibus, quia licet negauerint confessionem, dixerunt tamen omnes laicos esse sacerdotes, & habere potestatem conficiendi corpus Domini, præsertim si iusti sint, vt videre est in Prateolo, verbo, Vualdenses, & verb. Pauperes de Lugduno. Hunc vero errorem propriè docuit Vuicleph. vt refert Vualdensis tom. 2. c. 135. & 145. & eundem excitauit Lutherus, vt patet apud Rosenfem art. 13. & alios. Fundamentum esse potuit, quia hi hæretici negant in hoc sacramento dari gratiam, & veram absolutionem à peccatis, sed tantum esse quoddam nudum ministerium, & externum signum adhibitum tantum ad excitandam fidem. Quod falsum fundamentum in materia de sacramentis in genere satis impugnatum est: & supra in hac materia, disput. 10. in particulari ostendimus, habere ministrum huius sacramenti veram

Error Vualdensium.

Vualdens. Rosenf. Huius erroris primū fundamentum.

Et 2 & su

Fr. Suarez tom. 4.